107-119

Indice.

es para el S.r Don Christobal de funes y Muñ

VOTA ET MOTIVA DOMINORVM DE REGIO CONSILIO REGNI ARAGONVM,

DATA IN PROCESSV D. CHRISTOPHORI DE FVNES OLIM MVÑOZ SVPER APPREHENSIONE BARONIÆ DE QVINTO,

Tam respectu primæ sententiæ diffinitiuæ latæ die 29. mensis Aprilis, anno 1600. quam respectu confirmationis eiusdem in dicto processu prolatæ Die 9. mensis Maij, anno 1600.



CVM LICENTIA,

CÆSARAVGVSTÆ, Apud Angelum Tauanum. M. DC.

VOTA ET MOTIVA

PER DOMINOS DE REGIO CONSILIO REGNI ARAGONVM,

DATA IN PROCESSV D. CHRISTOPHORI DE FVNES, olim Muñoz super appræhensione Baroniæ de Quinto,

Tam respectu primæ sententiæ diffinitiuæ latæ die 29. mensis Aprilis, anno 1600. quàm respectu confirmationis eiusdem in dicto processu prolatæ die 9. mensis Maij, anno 1600.

Vota, & motiua primæ sententiæ.

IN DEI NOMINE AMEN. Nouerint vniuersi, quòd anno computato a natiuitate Domini Millesimo & sexcentesimo, die vero connumerata vigesima non[a] mensis Aprilis apud ciuitatem Cæsaraugustæ Regni Aragonum, & in Camera Regij Consilij interuenerunt EXCELLENTISSIMVS DOMINVS D. BERTRANDVS DE LA CVEVA Dux de Alburquerque, Locumtenens, & Capitaneus Generalis pro sua Magestate in dicto, & præsenti Regno, & Magnifici Domini IOANNES FRANCISCVS TORRALVA REGENS CANCELLARIAM, MARTINVS MONTER DE LA CVEVA, GAVDIOSVS AZAYLLA, DOMINICVS ABENGOCHEA REGII CONSILIARII, ET HIERONIMVS AGVASCA ETIAM REGIVS CONSILIARIVS EXTRAORDINARIVS in locũ Magnifici Fraciſci Sã ctacruz de Morales Regij Cõsiliarij pro suspecto dati. Coram quibus fuit positus Processus Don Christophori de Funes olim Muñoz super appræhensione. In quo DICTVS DOMINVS HIERONIMVS AGVASCA RELATOR, ET CÆTERI DOMINI DE REGIO CONSILIO, ET DICTVS DOMINVS REGENS CONCORDES FVERVNT VOTI ET OPINIONIS, quod att. cont. &c. tenetur, & debet pronuntiare & mandare fieri contenta in propositione Prioris, Maiordomorum, Confratrum, & Capituli Confratriæ Beatæ Mariæ, Archangeliq. Gabrielis, & Beati Nicolai loci de Vililla prope flumen Iberi existentis principaliũ Dominici Mõtañes, & Hieronymi Abeña procuratorum. Necnon contenta in propositione Iuratorum, Concilij Generalis, & Vniuersitatis, ac singularum personarum vicinorum, & habitatorum dicti loci de Vililla principalium Dominici Montañes, & Hieronimi Abeña procuratorũ respectu iurium in secundo, tertio, quarto, quinto, & sexto articulis dictæ propositionis contentorum, cùm onere tamen soluẽdi Domino (qui dicitur) dicti loci de Vililla duos mille solidos jaccenses pro iure herbagij terminorum eiusdem, ac reseruatis eidem domino iuribus depascendi cum suis ganatis, lignandi, & alijs iuribus & adempriuijs vtendi in eisdem, ac etiam iure locandi, arrendandi, dandi, siue concedendi *al ocheno*, omnes & sin-

singulas hæreditates, quas habet in montibus,& terris irriguis eiusdem loci. Et respectu iurium in septimo, octauo, & nono articulis dictæ propositionis. Cum hoc tamen, quòd dominus dicti loci possit,& valeat locare, arrendare; siue ad tributum, *o al quinto*, concedere, & dare omnes,& singulas hæreditates, & bona, quæ detinet,& possidet in nemoribus, siluis, siue sotis contentis in dictis articulis, ac etiam ex arboribus,& lignis ibidem existentibus scindere quasuis ramas, *siue enrramadas*, easque secum ducere,& asportare ad vsus sibi bene visos, ac reseruato eidem domino iure venandi in eisdem. Ac etiam respectu iurium in decimo, vndecimo, duodecimo, decimotercio,& decimoquarto articulis dictæ propositionis, & decimoquinto eiusdem. Dempto tamen quod ratione iuris herbagij in eodem contenti, tenentur soluere dictos duos mille solidos iaccenses, ac vltra prædicta iura quinque caficia tritici quolibet anno eidem domino soluenda pro iure transitus vicinorũ loci de Vililla per flumen Iberi mediante quadam nauicula (*Ponton* nuncupata) tenenda bene constructa per dictum dominũ. Ac etiam respectu iuriũ in decimoseptimo, decimo octauo, & decimo nono articulis dictæ propositionis, cum hoc tamen, quòd dominus prędictus possit,& valeat absque incursu alicuius pœnæ, nec caloniæ rigare suas hæreditates existentes in terminis locorũ de Xelsa, & Vililla in omnibus diebus, pertinentibus hominibus dictorũ locorum liberè, prout sibi videbitur, cũ onere tenendi per homines loci de Vililla suis expensis omnes,& singulos pontes, (*siue gallipuentes*) necessarios, ac solitos, & consuetos in Cequia de Vililla ad arbitrium hominum eiusdem loci, & hominum loci de Xelsa, & in euentu, & casu discordiæ Iustitiæ, & Iurati loci de Quinto iuxta instrumentum apertionis dictæ Cequiæ in processu exhibitũ. Ac etiam respectu iurium in vigesimo articulo dictæ propositionis: cùm obligatione tamen, quòd in emundatione, seu expurgatione Balsæ de Roden existentis in terminis de Xelsa dicti homines de Vililla teneantur contribuere.

Nec non etiam contenta in propositione Iustitię, Iuratorum, concilij,& Vniuersitatis generalis, ac singularium personarum vicinorũ, & habitatorum loci de Quinto, tam Infantionum, quàm hominum conditionis, & signi seruitij, & Infantionum, Iuratorumque, ac hominum conditionum eiusdem loci principalium Hieronimi de Abeña procuratoris, respectu iurium congregandi, faciendi, tenendi, ac constituendi Concilium generale simul cùm Infantionibus in rebus, & negotijs gubernationẽ, & regimen generale dicti loci tangentibus, prout hactenus consueuerunt tantum,& in alijs liberè,& absolutè sine dictis Infantionibus, ac etiam respectu nominandi duodecim personas, videlicet ab Infantionibus duas ex ipsis, & ab hominibus conditionis decem ex eis respectiuè pro constituendo Consilio particulari, regimineque, & gubernatione eiusdem loci, illudq. Consilium tenendi, ac dictum locum regendi, & gubernandi,& respectu rerum, ac negotiorũ requirentium maiorem deliberationẽ, & altiorem indaginem eadem particulariter,& inter se tractandi, conferendi, & ad inuicem respectiuè resoluendi dictæ duodecim personæ, videlicet duo Infantiones cùm Infantionibus,& decẽ homines conditionis cùm hominibus eiusdem. Illaque sic collata,& resoluta inter se respectiuè debitæ executioni ponendi,& tradendi. Et respectu iuris in quarto articulo dictæ propositionis interueniente, & assistente Alcaydo domini (qui dicitur) dicti loci de Quinto in nominatione Iuratorum eiusdem faciẽda per dictos decem homines conditionis cum potestate compellendi sic nominatos ad acceptandum dicta officia. Et respectu iurium in quinto articulo dictæ propositionis: dum tamen in casu absentiæ, infirmitatis, aut alterius legitimi im pe-

pedimenti iustitiæ dicti loci Alcaydus eiusdem posſit, & valeat nominare vnũ Locumtenentem Iustitiæ ex hominibus conditionis pro exercenda eo tempore iurisdictione dicti loci, & respectu iuriũ in sexto, septimo, octauo, & nono articulis eiusdem propositionis, cum onere tamen soluendi prædicto Domino septemcentum, & quinquaginta solidos jaccenses singulis annis ratione herbagij dictorum terminorum, ac reseruatis eidem Domino iuribus depascẽdi, lignandi, & alijs ademprivijs vtendi, prout hactenus consueuit in terminis loci de Quinto, ac facultate tenendi vnum currale (*siue acampadero*) consuetum singulis annis pro suis ganatis absque aliqua contributione, nec solutione alicuius quantitatis. Et respectu iurium in decimo articulo dictæ propositionis, cùm facultate tamen per dictum Dominũ, aut suos molendinarios, & ministros accipiendi omnem aquam necessariam pro molendino, siue mola aquaria eiusdem existente in terminis loci de Quinto, & rigandi suas hæreditates existentes in terminis de Quinto, & Matamala, ac etiam accipiendi aquam per vnum diem in qualibet hebdomada pro rigandis alijs hæreditatibus terminorũ, & pardinæ de Matamala, & iure prohibendi hominibus de Quinto, tam Infantionibus, quàm hominibus conditionis, & signi seruitij euntibus ad moliendum extra dictum locum in alio molendino, siue mola aquaria sub pæna decem Florenorum, excepto tamen quòd casu, quo dicta mola aquaria, siue molendinum steterit destructum, aut ob defectum aquæ in eo non moliatur, possint, & valeant dicti homines de Quinto vtriusque conditionis ire ad moliendum ad partes, & loca eisdem bene visa absque incursu alicuius pænæ: Ac etiam quòd homines de Quinto terras tenentes Cequiæ dicti loci in casu necessitatis (emulatione cessante) posſint, & valeant accipere omnem aquam necessariam per dictam Cequiam discurrentem, ac venientem pro rigandis suis hęreditatibus fructus habentibus, & eo casu prohibere molendinario, quatenus non emoliat in dicto molendino dicta necessitate durante tantum. Et respectu iurium in vndecimo, duodecimo, decimotertio, & decimo quarto articulis eiusdem propositionis, cum hoc tamen, quòd Dominus prædictus posſit, & valeat in dictis nemoribus, siluis, aut sotis depascere cũ suis ganatis grossis, & alijs iuribus, & ademprivijs vti sicut vnus, & quilibet vicinus dicti loci. Ac reseruatis eidem Domino in nemore, seu soto maiori tantum iuribus venandi, & quasuis venationes prohibendi, & iure lignandi sub pæna decem Florenorum etiam prohibendi in eodem soto maiori tantum, dempto tamen quòd Iurati loci de Quinto posſunt, & valent concedere licentiam, & facultatem hominibus de Quinto scindendi aliquas arbores *Chopos* nuncupatas pro seruitio aliquorum vicinorum, quando hoc videbitur necessarium eisdem, ac etiam aliquas ramas, *siue enrramadas*, & quando in dictis nemoribus, siue siluis, aut sotis animalia nõ possunt commodè depascere, tollendi quæuis impedimenta, & ligna (*artos nuncupata*) & similiter quando lupi, & alię feræ possunt offendere dicta animalia in dictis nemoribus, siue siluis, aut sotis, ac etiam reseruato eidem Domino iure, & facultate locandi, arrendandi, seu *al ocheno, vel a los drechos*, dandi, & cõcedendi omnes, & singulas hæreditates, quas habet in dictis nemoribus, siluis, *siue soto*. Ac etiam respectu iuriũ Macellorũ in decimoquinto, & decimosexto articulis dictæ propositionis, cum onere tamen soluendi dicto Domino trecẽtũ solidos Iaccenses quolibet anno. Et respectu iuriũ in decimoseptimo, decimooctauo, decimonono, vigesimo, vigesimoprimo, vigesimoquarto, & vigesimoquinto articulis eiusdẽ, dẽpto tamen, ꝙ dñs prędictus

posſit.

posſit,& valeat eoſdē homines,& vicinos dicti loci de Quinto ſcindētes quaſuis arbores in horta de Matamala existentes,& tranſeuntes per eandē ad abrebandum ſua ganata in dicto flumine Iberi prohibere,eoſdemq. pignorare,& calomniare: ET DEMPTIS DICTIS IVRIBVS,ET SINE EORVM PRÆIVDICIO MANDARE FIERI CONTENTA IN PROPOSITIONE D. GARSIÆ DE FVNES ET VILLALPANDO principalis Michaelis Paſſamar,& Martini de la Naxa procuratorū, præſtita prius reſpectiue cautione forali, alijs propoſitionibus repulſis,reſeruatis iuribus reſeruari ſupplicantibus, neutram partium in expenſis condemnando. Alia ſupplicata locum non habere.

Ex eo, & alias recipiuntur prædictæ propoſitiones modo, & forma quibus ſupra. Quoniam ex deductis, & probatis in præſenti proceſſu apparet de Domino,poſſeſsione,iuribuſq. deſuper expreſsis,ac contentis in dictis propoſitionibus reſpectiue. Limitantur autem,aut modificantur prout deſuper, quoniam ex eodem proceſſu liquet,prædicta iura prædictis modificationibus, reſeruationibus,& ſaluitatibus adiectis,dictis partibus competere, vt ſic attentis prædictis, & alijs ex eodem proceſſu reſultantibus dicta iura,res, & bona ita adiudicanda fore cēſeamus. Prædicta autem iura tenendi dictum Cōcilium generale dictis Iuſtitiæ,Iuratis,Vniuerſitatique de Quinto,& Infantionibus eiuſdē iunctim,& ſimul conceditur, atq. eorū recipitur propoſitio, ac ſuper duodenario conſilio,ac particulare dicti loci, quoniā de eius iure,& poſſeſsione liquide conſtat. Nec ex aduerſo pro parte Domini talia producta fuerunt, quæ intētionem dicti concilij eneruēt. Nō autē recipitur propoſitio dictorū Infantionū reſpectu iurīū tenendi Conciliū eorundē de per ſe,quoniā de eorū intentione legitime non apparet, niſi dumtaxat de facultate quadā congregandi ſe particulariter,cōferendi, & reſoluendi negotia inter ſe. Vt meritò attentis prædictis, & alijs ex proceſſu reſultantibus prædicta iura eiſdem ſic competere arbitremur.

RECIPITVR AVTEM PROPOSITIO DICTI DON GARSIÆ DE FVNES, ET VILLALPANDO, quoniam de eius dominio, & poſſeſsione ad obtinendum in hoc articulo aperte conſtat.

Non autem recipitur propoſitio Don Christophori de Funes olim Muñoz, quoniam licet verum ſit, & fateamur (prout fatemur) dictum Don Christophorū ex expreſſa Ramiri de Funes teſtantis voluntate ad bona in ſuo teſtamento contenta, & in præſenti proceſſu appræhenſa eſſe vocatum. Cōſtat tamen Sereniſsimū Alphonſum Aragonum Regem Ioanni de Funes eius Vicecancellario loca, & caſtra de Quinto,Xelſa,Vililla,Alforque, & Matamala cùm omnimoda iuriſdictione terminis,iuribus, & pertinentijs vniuerſis pro pretio decem & ſeptem mille Florenorum auri Aragonum, & recti ponderis, mediante tam en retrouendendi pacto, iureq. luedin pro conſimili pretio ſibi,& ſuis ſucceſſoribus reſeruato vendidiſſe, Quibus quidem decem & ſeptem mille Florenis fuerunt(propter nonnulla ſeruitia dicto Domino Regi per Ramirū de Funes dicti Ioānis emptoris filiū præſtita,& impenſa)alij quinq. mille & centum Floreni auri ſuperadditi, ſicq. vniuerſum,& verum pretium dictæ venditionis viginti duo mille, & centum Floreni auri Aragonum fuit effectum. Poſtmodumq. Sereniſsimum Regem Ioannem dicti Sereniſsimi Alphonſi Regis fratrem,& ſucceſſorem,propter alia nō nulla ſeruitia per Ioannem de Villalpando Regiæ domus Præpoſitū, ſiue Maiordomum, maritumque Conteſinæ de Funes(dicti Ioannis emptoris filiæ) quæ dicta loca ſimul cū eius viro detinebat, & poſsidebat, & a quibus Don Garſias de Funes,& Villalpando, ius, & cauſam habet(præfata ſuperiori facti narratione

ne præhabita) regiam quandā gratiā, & concesſionem in hæc verba fecisse. *Nos verò respectū habentes ad grata, & accepta seruitia, quæ vos dictus Maiordomus noster nobis præstitistis, & quotidie præstare non desinitis circa nostrū seruitiū die, ac nocte indefeſſe desudando de certa sciencia, & consulte, gratiose liberamus, absoluimus, & quitamus vos dictos coniuges; & vestrum quemlibet, vestrumq. & cuiuslibet vestrū successores, & prædicta castra, & loca, & alia prædicta dicto Ioanni de Funes vendita à prædicto onere iuris ea luendi in prædictis, aut circa prædicta pertinenti, aut pertinere debenti, et dictū ius luēdi nobis cōpetens, aut cōpetere potens in prædictis; aut circa ea cū præsenti carta perpetuo valitura transferimus in vos dictos coniuges; & vestrum quē libet, eaq. vobis gratiose donamus; volentes &c.* Ex quibus verbis in principio relatis, ibi. (*Nos vero respectum habentes*) deduci videtur Serenisſimum Regē Ioannē personā Ioannis de Villalpando; & eius seruitia contemplasse, ac in eius con sequentiam eius vxoris Contesinæ, suorumque hæredum, & successorum, atq. ita in huiusmodi gratia prædicti Ioannis Villalpando seruitia, & merita tanquam causam principalem, & immediatam considerandа esse, eaque dictæ concesſioni causam dedisse. Cum in omnibus causis id debeat obseruari, quod vbi personæ conditio locum facit beneficio, ea deficiente beneficium quoq. cesſare debeat, & sic ad eius vtilitatem interpretandum sit, maxime seruitiorum, aut meritorum facta mentione; quo casu etiam si adijciātur verba; propter quæ concesſio soleat realis censeri, propter merita censebitur personalis. Cum ergo Serenisſimus Rex respectum habens ad grata, & accepta seruitia, quę Ioānes de Villalpando eidem præstabat, & quotidie præstare die, ac nocte indefeſſe desudando non desinebat, huiusmodi gratiam fecerit, personalem potius, quā realem censendam arbitramur, vt ita non obstet Dominum Regem dixisse liberare castra, & loca. Cum illa etiam realis liberatio in consequentiam personarum, quarum gratia, & contemplatione facta fuerat, adiecta videatur, personasq. contemplatorum sequi, & ad eorū tantum vtilitatem protendi debeat. Ex qua ratione dicendum putamus verba, *liberamus, absoluimus; & quitamus vos dictos coniuges; & vestrum quemlibet, vestrumque; & cuiuslibet vestrum successores* cùm in coniugum fauorem fuerint prolata, secūdum materiam subiectam; reique qualitatem personis contemplatis cohærentem interpretandā esse. ità vt ex prædictis verbis in supradictorum (vt dictum est) fauorem prolatis translatio iuris luendi in dictos coniuges inducta videretur. Quia cum coniugum, & suorum successorum fauore fuerint concessa eis, & non alijs prodesse debere rationis scriptæ interpretes pasſim docent, tam in rebus & iuribus liberantibus, & absoluentibus iam actū competentibus; & acquisitis, quā cōpetere valentibus, & acquirendis. Cum alias liberationis, & absolutionis beneficium ad Ramiri vinculantis hæredes, seu successores (quos dictus Rex non est contēplatus) extēderetur: immo eorum lucro & vtilitati, Ioannis vero, & Contesinæ damno, & incōmoditati cederet. Quo fit, vt verba (*successorum*) de Ioannis, & Contesinæ successoribus intelligēda videantur, non vero Ramiri, quibus Serenisſimus Rex prospectū esse noluit; nec de eis verisimile est cogitasse pręsertim cum nulla adesset in Ramirum gratificationis causa, & propter eius seruitia iam eidem alij quinque mille, & centū Floreni auri pretio primæ venditionis fuerint superadditi, vt in eadem Regia concesſione expressè enarratur. Nihil enim referret, quòd prudētisſim⁹ Rex à seruitijs eius Maiordomi esset exorsus si Ioannis commodo, & vtilitati nō prospiceret, & si temporali vtilitati pro iure viduitatis iuxta leges patrias competere valenti tantum esset cōsultū, multo minori fauore, & gratia ei esset succursum, quā hæredibus Ramiri. Cū adhuc

 illud

illud viduitatis ius Contesina vxore præmortua eidem Ioanni superstiti, & ad alias nuptias non conuolanti tantum cō petere posset, ac tandē eius morte finiretur, nec ad eius successores transiret, ius verò Ramiri hæredibus competens durabile, ac perpetuū in omnes eius successores deriuaretur, & ita totum beneficij pondus, & emolumentū ad Ramiri successores (de quibus verisimiliter nō fuerat cogitatum) deuolueretur, Ioannis verò, & Contesinæ hæredes (p æsertim extranei) liberalitatis regiæ expertes, & eius commodo orbati omnino remanerent, quòd quàm absonum sit, & à Regis, & à Ioannis de Villalpando, & Contesinæ mentibus alienum, nemo est qui non videat At vbi supradicta non ita secure procederent (prout procedunt) sed sollicitam quandam dubitationem paterentur, adsunt verba trāslationis expressa, quæ difficultatem omnem submouere ac subducere videntur. Ita enim immediate inquit Rex, *& dictum ius luendi nobis competens, aut competere potens in prædictis, aut circa ea cum præsenti carta perpetuo valitura transferimus in vos dictos coniuges, & vestrum quemlibet, eaque vobis gratiose donamus.* Si igitur prædicta verba exactè (vt decet) perpendantur, & considerentur, non de extinctione, sed potius de iuris translatione in fauorem Ioannis, & Contesinæ, & suorum intelligenda, exponendaq. censemus. Prudētissimus enim Rex ius suum in cōiuges transtulit, non ergo præmissa verba liberatoria in Ramiri, & suorum successorum commodum, & vtilitatem intelligi possunt. Maximè attentis verbis, *& dictum ius luendi nobis competens, aut competere potens in prædictis, aut circa ea, cum præsenti carta perpetuo valitura, transferimus in vos dictos coniuges, & vestrum quē libet, eaq. vobis grati se donamus.* Si ergo per verba liberatoria in principio prolata liberatio statim. & incontinenti fuerat acquisita, non regi exinde ius cōpetere poterat, & tamen iura eidem competentia in Ioannem, Contesinam, & suos transtulisse apparet: vt sic necessariò fateamur regis voluntatem expressam videri circa cessionem, & translationem, cùm expressis verbis in coniuges, & eorum quemlibet prædictum ius transferatur. Non enim obstant verba liberatoria superius expressa. Cùm hæc & alia inter se compatibilia sint, liberatioq. cū cessione, & è cōtrario concurrere possint, vel diuersis respectibus, vel respectu diuersarum personarum, aut cōtra diuersas personas. Liberatio enim simul cum cessione adiuncta, si nihil aliud impediat, (prout in præsenti nō impedit) potius exemptionem à iudicio creditoris liberantis, quā totalē obligationis extinctionē inducere videtur. Præcipue autem si contra diuersas personas, fiat (vt in præsenti) cum liberatio in fauorem Ioannis, Contesinæ, & suorum successorum tendat, cessio verò, seu translatio etiam in eos, sed contra Ramiri successores si oportuerit, seu quoscunque alios bonorum possessores fiat. Ideo enim dixit dominus Rex, *transferimus in vos dictos coniuges, & vestrum quemlibet:* ergo non in Ramiri successores, sed contra eos, qui in castris, & locis essent successuri Quod vt enixius ostenderet, addidit. *Cùm præsenti carta perpetuo valitura,* quasi in hoc ostenderet, omnem eius voluntatem, & dispositionem ad hunc finem dirigere voluisse, vt ius suum in donatarios, vel cessionarios vtiliter cederet, atque transferret. Quod in verbis liberatorijs non expressit, quasi actum hunc principaliter agens, neruosque, & vires vniuersæ suæ concessionis huc cōijciens. Quod fieri potuisse non dubitamus. Cùm quicquid in solutione, & acceptilatione doctores nostri dixerint, in liberatione tamen (cui cessio saltim incontinenti adiuncta est) eorum dicta nō procedant, imo eadem modificari, restringi, & cum cessione coniungi, & ad tempus, causas, & personas ex liberantis, seu concedentis mente & voluntate limitari possit maxime in hoc regno in quo (cùm cartæ standum sit) de iuris, seu

rationis

rationis scriptæ impossibilitatibus non curamus. Quòd autem dominus Rex translationem facere voluerit, etiā suadetur, ex eo quod liberè, potenter, irreuocabiliter, & pleno iure coniuges dicta bona possidere voluerit. Quòd iure luendi extincto, & non translato impossibile est fieri. Cùm mortua sine filijs Contesina (prout decessit) ad alios in testamēto Ramiri vocatos bona peruenirēt, vt etiam apud Ioannem de Villalpando, si ante Contesinam moreretur, vel si super uiueret, & ad secundas nuptias conuolasset, nihil remaneret contra Regis voluntatem, & intentionem. Quòd etiam ex alia eiusdem gratiæ clausula manifestè deducitur, in qua dicitur, quòd concedit supradicta Ioanni, & Contesinæ, *prout melius dici, scribi, intelligi, aut excogitari possit ad omnem eorum, & suorum, bonum, & sincerum intellectum*. Si autē per concessionē extinctio esset inducta, non hoc melius intelligi, aut excogitari posse in eorum fauorem diceremus, sed nihil peius contra dictos cōiuges dici, aut scribi potuisset. Vt ergo ad augmentū inducta diminutionem non operentur, & fauores in odia, aut commoda in damna non conuertantur, necessariò translationem potius, quàm extinctionem inductam fatendum est. Imò vbi verba regiæ concessionis dubia, & obscura essēt, an extinctionem iuris luendi, vel illius translationem inducerent, potuit etiam ex postfacto Serenissimus Rex eius intentionem, & voluntatem declarare. Quod factum esse in epistola obseruatoria in processu exhibita clare liquet. In qua non semel, sed pluries, geminatisq; vicibus, se donationem, & gratiam iuris luendi Ioanni, & Contesinæ fecisse expresse profitetur. Inquiens, & asseuerās. *e por las causas en aquel contenidas ayamos fecho donacion, gracia, e merced al Magnifico Consellero, e Mayordomo nuestro Mosen Iuan de Villalpando, e Contesina de Funes muller suya, de quiense dize ser la Villa, e Baronia de Quinto, perpetuamente del ius luendi à nos, e à nuestra Corona, e patrimonio Real pleno iure pertenenciente, &c.* Quod nobis (etiam si in dubio versaremur) ita admittendū, & declarandum ex supra dictis videtur. Quia quando scriptura se habet ad plures interpretātes formas, ea accipienda, inspiciēdaq. est, quæ habet plurimū humanitatis, & ad quam nobis ratio naturalis impellit: vt magis menti, & verbis, quā solis verbis seruiendū, standūq. sit. Quæ omnia confirmantur ex obseruantia subsequuta, & ex cōmuni intelligētia partium, aduocatorū, & iudicū, qui de hac re hactenus tractauere. Quia (vt omittamus quid Serenissimus Rex Ioannes intellexerit, cùm id satis abunde appareat, & in superioribus dictum sit) in Ioannem tamen de Villalpando, & Contesinam eius vxorem, ius luendi translatum esse pro constanti habuerunt, cùm certificati de Ramiri vinculis (quæ ignorare non poterant) videntes se filijs orbatos, ac forsan credentes sibi ipsis, tanquam breui manu luitionē facere licuisse, ex cōmuni voto in Franciscum de Villalpando dicti Ioannis filium, & Beatricem de Funes filiam Ludouici Muñoz præfatæ Contesinæ ex sorore neptem, de huiusmodi bonis, tanquam liberis, cum vinculis tamen multis, & substitutionibus disposuerint, vt ex donatione per eosdē facta die vltimo mensis Maij millesimi quadringentesimi septuagesimiquarti, & alijs documentis in processu exhibitis clare liquet. Idē etiam senserunt Alduntia, & Catherina de Funes, similiter Ramirus, Franciscus & Ludouicus Muñoz fratres in Ramiri primi testamento ad successionem vocati dum inter eos ex vna, Franciscū de Villalpando, & Beatricem de Funes cōiuges partibus ex altera, fuit quædam super solutione pretij luitionis concordia inita. In qua sæpius, & expresse fatentur ius luendi ad dictos Franciscum, & Beatricem, tanquam Ioannis, & Contesinæ successores, pertinere, vt ex tenore concordiæ factæ in anno millesimo quadringentesimo septuagesimo octauo (in processu exhibitæ) manifestè apparet.

Ac postmodum pro luitionis pretio recuperando huiusmodi bona appræhenderunt. Idem etiam, & Michael Muñoz sensit, cùm in fauorem don Garsiæ de Funes, & de Villalpando moderni Don Garsiæ proaui luitionem concesserit die septimo mensis Octobris anni millesimi quingentesimi decimi octaui. Idque ipsum in anno millesimo quingētesimo quadragesimo octauo iudices senserūt. Et qui à communi aliorum voto recessit, ex eo motus fuit, quòd reemptio quę allegabatur deficientibus (vt ipse dixit) qualitatibus requisitis fuit facta. Et quia legitima, tam ex eadem, quàm ex sentētia arbitrali (tunc in processu exhibita) apparebat exceptio. Quasi sentiens ius luendi translatum esse, vt ex eorum motiuis constat, & depræhenditur. Ac tandem Rodericus Muñoz confirmauit, cū die sexto mensis Aprilis millesimi quingentesimi sexagesimi tertij in fauorem Don Antonij de Funes, & de Villalpādo etiam luitionem fecerit. Quæ cùm ita sint, maximè ad verba regiæ gratię interpretanda conducunt, vt dicamus, quasi per manus traditum in ea nō iuris luendi extinctionem, sed translationem contineri. Accedente præsertim tanti temporis possessione, quæ plus quam centū, & quadraginta annorum numerū transcendit. Apparet ergo ex prædictis virtute cessionis, seu translationis per Serenissimum Regem Ioannem in dictorum Ioannis, & Contesinæ, & suorum fauorem factæ, bona in præsenti processu appræhensa per Don Garsiæ prædecessores (& a quibus ipse ius, & causam habere dignoscitur) legitime fuisse reempta, & ex principijs attractiuis, ad eos (sicut ad dominum Regem si ius suū luendi non cessisset) huiusmodi bona libera esse reuersa.

Nec supradictis obstant, quæ in contrarium allegantur, Quia licet eis in superioribus videatur responsum, & satisfactū. Ex professo tamen faciendum esse arbitramur. Non enim obstant, nec refragantur verba (*liberamus, absoluimus, & quitamus*) quæ sui natura extinctionē obligationis operari pro parte dō Christophori contenditur. Id enim (vbi verū esset) procedere posset, quando simpliciter, absolute, & de per se dicta verba prolata essent. At vbi simul cū eisdem alia cessionem, seu translationem inducentia, & significantia coniunguntur, tunc ex coniunctione cessionis, siue mandati directarum cū dicta liberatione præsumitur liberatio facta animo eximēdi a iudicio liberantis, non verò obligationis tollendæ. Cùm iste animus cùm tali cessione non se compatiatur. Ac etiam dicta verba recipiunt declarationem ex causa concessionis secūdùm materiam subiectam, & ex voluntate concedentis restrictionem, limitationemq. ad certas personas admittunt. Cùm ergo propter seruitia Ioannis de Villalpando huiusmodi gratia fuerit concessa, vt in dicta gratia regia, & in litera obseruatoria, ibi, *por los causas y razones en el contemidas, &c.* continetur, ex huiusmodi causa interpretationem accipere debet, & ita ad personas contemplatas, Ioannem scilicet, & Contesinam coniuges, suosq. successores accōmodanda videtur. Cùm enim obligatio iuris luēdi passiua in omnibus Ramiri successoribus reperiretur, & successiua esset liberatio ex causa meritorum in vnum collata, alijs prodesse non debet, etiamsi in rem concepta sit. Cùm tunc demum omnibus talia pacta prosint, quatenus pasciscentium intersit, nisi aliud actum esset. Duo ergo Serenissimus Rex dixit. Primò, quod liberabat coniuges, & suos a iure luendi, ita vt cōtra eos non posset per aliquem exerceri. Alterum, quòd dictum, idemque ius in eosdem transferebat, & gratiose donabat, vt illo (tanquam Regis cessionarij,) contra quoscunque bonorum possessores vti possent. Et quod dicitur cessionē cum solutione, acceptilatione, aut liberatione incompatibilē esse, procedit, quando solutio fit nomine ipsius debitoris, contra quem fit cessio, aut etiam acceptilatio, seu liberatio dirigitur in fauorē eius.

eiuſdem contra quem ceſsio impetratur. Nos autem verſamur in diuerſo caſu, in quo liberatio, & abſolutio fit reſpectu perſonarum Ioannis, & Conteſinæ coniugum, & ſuorum ſucceſſorum, ceſſio verò, ſeu translatio in eorum fauorem, & contra Ramiri vinculantis ſucceſſores, aut quoſcunque alios detentores, ad quos bona poſſent peruenire. Cũ enim eſſent poſſeſſores maioratus, iuſq. ſuum eſſet eorum morte periturum, cauendum ſibi putarunt de translationis remedio, vt ita ipſi, ſeu ſaltim eorũ ſucceſſores (luitione ſubſequuta, vel per retentionem) liberè potenter, & irreuocabiliter, & pleno iure dicta bona poſsiderent. Imo etiam, vbi ceſsionis pactum liberationi præcedenti omnino repugnaret, (quod non videmus) ex ceſsione, ſeu translatione in aliam ſpeciem contractum ipſum tranſijſſe dici poſſet, valeretq. magis vi pacti, quàm liberationis, ſeu acceptilationis. Denique in liberatione Sereniſsimi Regis (de qua nos agimus) longe aliud, quàm in ſolutione, & acceptilatione ſtatuendum, & obſeruandum eſſe cenſemus. Cùm inter hæc in operando effectu & eorũ (prout dictũ eſt) maxima ſit differẽtia, a Doctoribus noſtris ſæpiſsimè cõſiderata. Quibus addendum putamus actionem etiam extinctam ex voluntate Sereniſsimi Regis donantis, quæ ſola actum illum regebat, & gubernabat, reuiuiſcere, renaſci, ac reſurgere potuiſſe, vt ſic verba liberatoria nihil translationi obſtare dicendum ſit, Nec alia verba (*& abſque aliquo nexu, & obligatione iuris luendi*) in aliquo refragantur, nec obſiſtũt. Quia (ſi bene ea perpendantur) id ſignificant, vt Ioannes, & Conteſina, ſuiq, ſucceſſores prædicta bona retrouendere non teneãtur. Ipſi enim non poterant pretium vendi tionis offerre, nec bona redimere, ſed tantùm per Regem ad reuendendũ ante donationem dicto pretio oblato compelli. Tollitur ergo per ea verba nexus, & obligatio iuris luendi, ſeu retrouendendi, non tamen hoc obuiat, quominus illud idem ius in eos, contra quoſcunq. alios cedi, transferri, aut donari poſsit. Quibus omnibus diligẽter inſpectis, matureq. conſideratis, & alijs ex præſenti proceſſu reſultantibus, ita propoſitiones prædictas eſſe recipiendas, iuſque partibus dicendum, tribuendumuè cẽſemus, & arbitramur. Aliorum autem propoſitiones non recipiuntur. Quia non probarunt, nec publicarunt, nec de eorum iuribus legitimè apparet.

Sig † num mei Marci Antonij de la Roya. S. C, & Regiæ Mageſtatis Scribæ mandati, ac Notarij publici per totã terram, & dominationem ſuam, qui huiuſmodi vota, & motiua à libro, ſiue Regeſtro Regij Conſilij Ciuilis Regie Audientiæ præſentis Regni Aragonũ, vbi continuata exiſtunt, manu aliena ſcripta, & cum dicto originali libro, ſiue Regeſtro bene, & fideliter comprobata extraxi. In quorum fidem, & teſtimoniũ præmiſſorum meo ſolito ſigno ſignaui.

LAVS DEO.

VOTA

VOTA ET MOTIVA SECVNDÆ SENTENTIÆ CONFIRMATORIÆ.

IN DEI NOMINE AMEN. Nouerint vniuersi, quòd anno computato à natiuitate Domini Millesimo & sexcentesimo, die vero connumerata nona mensis Maij apud ciuitatem Cæsaraugustæ Regni Aragonum, & in Camera Regij Consilij interuenerunt EXCELLENTISSIMVS DOMINVS DON BERTRANDVS DE LA CVEVA Dux de Alburquerque, Marchio de Cuellar, Comes de Ledesma, Locumtenens, & Capitaneus Generalis pro sua Magestate in dicto, & præsenti Regno, & Magnifici Domini IOANNES FRANCISCVS TORRALVA REGENS CANCELLARIAM, MARTINVS MONTER DE LA CVEVA, GAVDIOSVS AZAYLLA, DOMINICVS ABENGOCHEA REGII CONSILIARII, ET HIERONIMVS AGVASCA ETIAM REGIVS CONSILIARIVS EXTRAORDINARIVS in locũ Magnifici Frãcisci de Sanctacruz, & Morales Regij Cõsiliarij pro suspecto dati. Corã quibus fuit positus Processus Don Christophori de Funes olim Muñoz super appræhensione. In quo DICTVS DOMINVS HIERONIMVS AGVASCA RELATOR, ET CÆTERI DOMINI DE REGIO CONSILIO, ET DICTVS DOMINVS REGENS CONCORDES FVERVNT VOTI ET OPINIONIS, quod attentis, contentis tenetur, & debet pronuntiare. ET NON OBSTANTE REVOCATIONE RESPECTIVE SVPPLICATA, QVÆ LOCVM NON HABET, STARE IN PRONVNTIATIS. Dempto, quòd debet mãdare fieri cõtenta in propositionibus respectiue Iuratorum, Concilij, & Vniuersitatis loci de Vililla principaliũ Dominici Montañes, & Hieronimi de Abeña procuratorũ respectu iuriũ in quarto, quinto, & sexto articulis suæ propositionis contentorum, & Iustitiæ, Iuratorum, Cõcilij, & Vniuersitatis loci de Quinto principaliũ dicti Hieronimi de Abeña procuratoris respectu iurium in septimo, octauo, & nono articulis suæ propositionis cũ oneribus, ac modificationibus in sententia desuper lata contentis. Ac etiã seruatis Domino (qui dicitur) dictorum locorum iuribus depascendi, lignandi, & alijs adempriuijs vtendi, prout hactenus consueuit in eorum terminis, tanquam vicino eorundem. Ac respectu iurium in decimo articulo eiusdem propositionis hominum de Quinto, modis, & formis in dicta sententia contentis. Sublatis tamen, ac demptis ex ea illis verbis (*fructus habentibus*) Ac etiam respectu iuriũ in vndecimo, duodecimo, decimotertio, & decimoquarto articulis dictæ propositionis de Quinto, prout in dicta sententia continetur. Excepto tamen, quòd dominus dicti loci possit, & valeat prohibere sub pæna decem Florenorum homines loci de Quinto, & quosuis alios lignantes in nemore, silua, seu soto maiori existente in terminis de Quinto, ligna dumtaxat de Salz, Chopos, Artos, & quasuis arbores magnas, siue grandes tantum, nisi in casibus, ac modis, & formis in dicta sententia desuper expressis, & contentis, quascunque pronuntiationes in contrariũ factas reuocan-

cando, alia supplicata locũ non habere. Ex motiuis per eos desuper præstitis. Ac etiã ex eo, & alias iura depascendi, lignandi, & alia adempriuia modificantur domino dictorum locorum, tanquã vicino eorundem. Quoniam ex deductis, & probatis in dicto processu cõstat dictum dominum in præmissa qualitate dicta iura possedisse, & tenuisse, omisso quòd pro eius parte in articulis suæ replicæ centesimo decimoquinto, & vndecimo Hieronimi Bayle sui valitoris deducitur, & articulatur respectu loci de Quinto præmissa iura eidẽ in dicta qualitate competijsse. Tolluntur autem, & amouentur verba, *fructus habentibus*, a dicta sententia. Quoniam sufficienter, & apte prouisum existit, per ea quæ in dicta sententia existunt, atque procedũt emulatione cessante. Quæ verba, *fructus habentibus*, si adderentur in dicta sentẽtia, tollerẽtur hominibus de Quinto iura rigandi suas hæreditates pro eis seminandis, proscindendis, atque iterandis. Quod vere acta, & vulgo *para barbechar, barbechos* appellantur. Ac tandem iura prohibendi sub pæna decem Florenorum contra lignantes in nemore, seu soto, aut silua maiori tantùm ligna de Chopos, Salz, Artos, & arbores magnas, siue grandes in eodem existentes eidem domino conceduntur. Quoniam tam per deducta per eum in articulo centesimo decimo octauo suæ replicæ, & in decimo quarto Hieronimi Bayle sui valitoris, quam in decimo nono replicæ hominum de Quinto apparet dictũ ius (vltra ea quæ in dicta sententia cõtinentur) dicto domino competere. Respectu autem dominij dictorum locorum, & superioris suorum terminorum ideo Don Garsiæ propositio recipitur. Quoniam ex deductis, & probatis in præsenti processu constat, eundem dominum, & possessorem esse in vim possesionis, & titulorum in processu contentorum, & deductorum: vt merito attentis prædictis, & alijs quàm plurimis ex præsenti processu resultantibus, ita declarandum fore, & esse arbitremur, & censeamus, non solum respectu dictorũ iurium, sed etiam causæ principalis, & receptionis propositionis dicti Dõ Garsiæ, nõ refragãtibus, quę pro parte Don Christophori de Funes olim Muñoz obijciuntur, asserentisq. ex prohęmialibus Serenissimi Regis Ioannis donantis verbis, ibi, *Nos vero respectum habentes ad grata, & accepta seruitia, &c.* non causam finalem, sed impulsiuam regiæ concessionis, & largitatis inductam fuisse, præsertim cum & tale beneficium bonis quoque concessum fuerit. Quo casu tanquam reale non solùm hæredibus Ioannis de Villalpando, & Cõtesinę de Funes respectiue, sed etiam Ramiri de Funes (vinculo eadem bona afficienti) successoribus, & descendentibus cõmunicatũ fuisse, acproinde donationẽ talẽ non remuneratoriam, sed simplicẽ extitisse. Nam vltra quod indignũ est dicere, beneficium tam reale esse, quod ex eo Serenissimus Rex successoribus Ramiri velit consultum fuisse, cum mẽtem suam ad Ioannem, & Contesinam, eorumq. hæredes direxerit. Constat sane de bonis ipsis eundẽ eo respectu cauisse, quo bona ipsa personarum cõditionem sequuntur, vt eo titulo, & causa quibus personarum liberatio inducebatur, eodem iure, & modo bonorum quoque libertas commensuretur. Nec quod de causa impulsiua concessionis dicitur intentioni Don Christophori suffragatur. Cum apud nos haud dubiè constet, non minus principaliter, quin potissime ex finali mentis proposito ad eam concessionem ineundam, dominum Regem motum fuisse. Maximè inspectis, perpẽsisque tum relatis verbis concessionis, cum etiam alijs in dicta Litera Obseruatoria expressis, ibi, *por las causas en el con tenidas*. Ex quibus inspecta præsertim repetitionis natura, consonat, vt causam formalem, & necessariam (sicq. finalẽ) productam dicamus. Idque quam maximè probabile nobis videtur, cùm Principi cõcedenti in Litera Obseruatoria,

absque

absque aliqua causæ expressione sufficeret dixisse, se in dictos Ioannē, & Contesinam donationem contulisse, nec si causa illa finalis nō esset, tam ex professo, & serio exprimēda videbatur. Quia tamen eam talem princeps æstimauit, effectum fuit, vt ab eo nominatim exprimeretur, ne aliàs quod in animo gratioso, consultè, & cordatè, ac ex finali proposito gerebat, non exprimendo pro ommisso habitum esset, cum secundùm regulā rationis scriptæ, quæ speciali nota digna sunt, nisi exprimantur, pro neglectis haberi soleant. Ac subsequenter præmissorum vigore conuincamus, ex prædicta Ioannis de Villalpando meritorum præcipua ratione, & finali causa Principem nostrum motum fuisse, pręsertim in hoc Regno, vbi standū esse cartæ Fori, & obseruantiæ proclamāt. Nec ex verbis *gratiose donamus*, in contrariū argui potest. Cùm dominus Rex non rependere merita, & seruitia Ioannis de Villalpando potuisset, & tamen remunerando gratiam quandā, & liberalitatem eundem fecisse dicendum est. Ac consequenter ex præmissis, & alijs meritò conuincamus, Principem tali ratione motum, non impulsiuè, sed finaliter pro donatione in fauorem Ioannis, Contesinæ, & suorum liberali, gratiosoq. animo censuisse. Vt sic iure optimo sententiam pro Don Garsia de Funes, & de Villalpando aliàs prolatam, nunc quoq. confirmandam arbitremur.

Sig † num mei Marci Antonij de la Roya. S. C, & Regiæ Magestatis Scribæ mandati, ac Notarij publici per totā terram, & dominationem suam, qui huiusmodi vota, & motiua â libro, siue Regestro Regij Consilij Ciuilis Regię Audientiæ præsentis Regni Aragonū, vbi continuata existunt, manu aliena scripta, & cum dicto originali libro, siue Regestro bene, & fideliter comprobata extraxi. In quorum fidem, & testimoniū præmissorum meo solito signo signaui.

LAVS DEO.

[illegible]

[illegible] por la Magestad [illegible] y hauiendo [illegible]

[illegible] y con muchos [illegible] de quarenta y ocho [illegible] y dar licencia que [illegible]

[illegible] y tractados [illegible] y los impedir [illegible] porque no se despeche [illegible]

[illegible] en la forma que se acostumbra [illegible] de nuestra cierta ciencia y Real [illegible]

[illegible] a imprimir y hazer imprimir [illegible] Dioscorides [illegible] y renueuo, que han sido hechas [illegible] Doctor Miguel Martinez Leyua [illegible] proueydo y mirando que [illegible] los dichos Dioscorides, y [illegible] en pena de perdimiento de los moldes, y [illegible] en pena de mil florines de oro de Aragon [illegible] por la gracia de su Magestad les [illegible] del mes de Mayo del año contado [illegible] de mil quinientos ochenta y ocho.

Don Ramon Cerdan
Gouernador de Aragõ.

[illegible]

[illegible] Gobernatoris [illegible]

[illegible]

Don Phelipe por la gracia de Dios, Rey de Castilla, de Aragon, de las dos Sicilias, de Hierusalem, &c.

DON Ramon Cerdan Cauallero, del cõsejo de su Magestad, Regente el oficio la general Gouernacion, y presidente la Real Audiencia por su Magestad, en el presente Reyno de Aragon: Al amado de su Magestad Lorenço de Robles impressor de libros, vezino de la ciudad de Çaragoça. Por quanto presidiẽdo en este Reyno por su Magestad el Illustre Duque de Alburquerque: por parte de don Garcia de Funes y Villalpando, cuya dize ser la varonia de Quinto, le fue suplicado para euitar costas, gastos, y proligidades, le concediesse licencia, permiso y facultad, para poder imprimir las allegaciones y sumarios, tocantes al negocio de la aprehension de dicha Baronia, pendiente en la Real Audiencia deste dicho Reyno: y hauiendo remitido el dicho Duque de Alburquerque al Doctor Gaspar Ioan de Ortigas, entonces del consejo criminal de su Magestad en dicho Reyno, que viesse y reconociesse los dichos sumarios y allegaciones, y si hauia alguna cosa porque no se deuian de imprimir: y hauiendo lo hecho el dicho micer Ortigas con mucho cuydado, hizo relacion dello, y que se podian muy bien imprimir, y dar licencia que para ello se suplicaua, por no hallar cosa en dichos sumarios y allegaciones que lo impidiessen, y assi se dio y concedio a vos dicho Lorenço de Robles la dicha licẽcia, aunque no se despacho en forma, y assi a vuestra suplicaciõ hos hauemos dado y cõcedido las presentes en la forma q̃ se acostũbra, y cõforme al estillo desta Real Audiẽcia. Por las quales y su tenor, de nuestra cierta ciencia, y Real autoridad, deliberadamente y consulta, damos y concedemos licencia, permiso y facultad, para que vos, o quien vuestro poder tuuiere, y no otro alguno, podays imprimir y hazer imprimir los dichos sumarios y allegaciones que el dicho micer Ortigas vio y reconocio: que han sido hechas y ordenadas las dichas allegaciones por el Doctor Miguel Santangel. Proueyendo y mãdando que vos y no otro alguno pueda imprimir ni hazer imprimir los dichos sumarios y allegaciones: y todas las demas tocantes a dicho negocio, q̃ cõ firma, o rubrica de alguno de los Doctores del Real consejo desta Real Audiencia hos fueren entregadas, sopena de perdimiento de los moldes, y de lo que se huuiere impresso, y otras penas por Nos arbitraderas: con esto empero, que en todas las impressiones que se hizieren se haga mencion desta nuestra licencia: mandando a qualesquier Iuezes, y officiales, mayores y menores, y otros qualesquiere ministros, vassallos, y subditos de su Magestad, so incurrimiento de nuestra indignaciõ, y yra, y en pena de mil florines de oro de Aragõ, que no hos pongan impedimento en lo sobredicho, si la gracia de su Magestad les es cara, y en dicha pena no dessean incurrir. Dat. en Çaragoça a doze dias del mes de Mayo del año cõtado del nacimiento de nuestro Señor Iesu Christo, de mil quinientos nouenta y ocho.

Don Ramon Cerdan
Gouernador de Aragõ.

V. Galuan Assessor.

Dominus Regens officium generalis Gubernationis mandauit mihi Didaco Michaeli Malo, vila per Ioannem Lupum Galuan ordinarium Assessorem.

In diuersorum Regen. offi. gene. Guber. Arag. primo. fol. 98.